Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31635
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

mundi contempnens ornamenta monasterialis uite normam infancia sua rite ac regulariter sub moderata prefati patris gubernatione annos quam plurimos custodiuit. donec puericie facessante lasciuia. et pubertatis inchoante adolescencia ardencior illuc ingenioli sui uoluntas accendit. ut ad finitima quoque monasteria magisteriali lectionis prouocatus penuria cum consensu et consilio conseruorum fidelium patrisque monasterii perueniret. Cumque uocato simul et mente omnipotentis sibi adesse incessanter magna precum perseuerantia suffragium postularet tandem diuina celitus inspirante gratia ad monasterium quod usque hodie dicitur nutscelle peruenit et beate memorie Wigberti abbatis qui uenerabiliter predictum sub regulari disciplina regebat monasterium spiritali litterarum diligentia prouocatus elegit magisterium firmiterque secum in diuino uiuentium contubernium ac sic seruorum dei iunctus consortio deuotum domino deo seruicium et laboriosam uigiliarum instantiam lectionisque diuine opera ingenti meditationis studio exhibuit ita ut maxima demum scripturarum erudicione tam gramatice artis eloquentia et metrorum medullata facundie modulatione quam etiam hystorie simplici expositione et spiritalis tripartita intelligentie interpretacione imbutus dictandi peritia laudabiliter fulsit. ut etiam aliis demum paternarum extitit pedagogus tradicionum et auctor magister monasterii qui et discipulis subiectorum esse non recusauit. quia sacre mos est conuersationis ut preferre se ceteris pertimescat qui subici aliis renuerit quia et recte obedientie operam subiectis impendere non ualebit quam superna prelatis dispensationis iuste non exhibebat. hanc enim ita omnibus in commune uiuentibus et maxime suo sub regulari uidelicet disciplina abbati monastica subditus obedientia prebebat. ut laborem manuum cotidiano et disciplinarum officiorum amministratione incessanter secundum prefinitam beati patris Benedicti recte institucionis formam insisteret omnibus exemplum bene uiuendi in uerbo in conuersatione in fide et castitate se prebens ut omnes de fructu eius percipient et ex omnibus ipse mercedis eterne perciperet porcionem. Sed et humilitatis quoque eius et caritatis excellentia solus qui occultorum conditor est deus intima inspectionis eius consideratione nouit. quo omnes suis commilitones sollerti cura subiunct erat ut ab eis timori pariter habebatur et amori. et quem diuina dilectione haberent socium. mutuo apostolice ammonicionis honore preueniret. ut patrem tamquam in eo affabilitatis erga fratres et celestis doctrine succreuit magnitudo ut rumore sancte exhortationis eius crebrescente fama eius multis per monasteria tam uirorum quam et uirginum Christi amplissime claruit. quorum quidem quam plurimi uirili sexus robore confortati et lectionis instancia incitati ad eum confluere. et saluberrimum scientie fontem potantes numerosa scripturarum uolumina recensuere. Quibus uero sexus infirmioris inbecillitatis inerat. et assidua pergendi abnegabatur facultas tante sapientie uirum diuini inflate spiritu amoris presentari fecerunt. paginarumque seriem transcurrentes celesti instanter scrutinio inherere et sacramentorum archana mysteriorumque abdita iugiter meditantur. Que ita superna subleuauit gracia ut iuxta egregii predicatoris exemplar et gencium doctoris uocem formam habens sanorum uerborum in fide et dilectione Ihesu Christi sollicite curans se ipsum probabilem exhibere deo. operarium inconfusibilem recte tractantem uerbum ueritatis.

Quod doctrine uerbum omnibus prebuerit et quod hanc non suo ante tempus etatis arbitrio arripuerit

A DGENERALEM quoque cotidiane contemplationis eius formam et diuturna parsimonie continentie sermo a nobis directus aliquantis per diriuatur ut per singulos quosque ascensus sublimia huius sancti uiri opera propensius compendiosa uerborum raritate exequamur studiumque uite per omnia uenerabilis sancti Bonifacii subtilius indagando prosequamur ut equalibraminis moderamine exemplar nobis eternitatis et patres fiat apicem erudicionis norma qui per sanctorum exempla arduam celestis intelligentie semita feliciter scandens. ac prouiuum populis ducatum prebens por